



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

De Conivgio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

si firmiter ones. Deus ut fidelis Pastor seruat politias, & dat alios fideles custodes. Sed Diaboli, latrones, & tyranni sunt velut lupi. Rapaces domini sunt velut fures. Hi turbant politias, tanquam regem: Et tamen interea Deus seruat magnam partem, & depellit malos, tyrannos, latrones, homines seditiosos & rapaces. Hæc imago vtrunq; monstrat discrimen ordinis politici & confusionum, quæ confunde admiscuntur.

Q U O D E S T D I S C R I M E N B O N I  
Principis & Tyranni?

B O N U S Princeps est, qui habet *responsionem* recte faciendi, & plerumq; & in præcipuis partibus officij sui recte facit, etiam si aliquando labitur.

H A C forma definiendi in hac vita vtendum est de omnibus gubernatoribus & ministris, in quocunq; genere officij. Et sumitur prima pars definitionis ex dicto Pauli: Hoc requiritur, Fideles ut sumus. Secunda pars ex dicto Salomonis: Non est iustus in terra, qui bene faciens etiam non peccet. Ac placet Deo gerens magistratum, seu dux, seu iudex, seu miles, habens fidem & bonam conscientiam, iuxta Pauli regulam: Qui & in officio bonam conscientiam retinet, videlicet *responsionem* recte faciendi, nec ruit contra conscientiam, contra leges officij, nec indulget sibi affectata ignorantia, & affectata omissione.

C O N T R A vero tyrannus est, & Deo displicet, qui non habet *responsionem* recte faciendi, & plerumq; scelerate facit, etiam si interdum iusta facit, ac negligit præcipuas officij partes, seu sciens seu affectata ignorantia, seu affectata omissione, vt Saul, Cambyfes, Sardanapalus, &c.

A N I V R E P O T V I T N A B O T H R E C V  
sare, se Regi petenti venditurum esse vineam, id est:

An distinctio dominiorum sit iuris diuini inter facultates Regum & subditorum?

R E S P O N D E O: Præceptum, Non furtum facies, obligat omnes homines, & distinguit & munit omnium hominum dominia, regum & subditorum. Iohannes dicit regibus & principibus: Contentestote stipendijs vestris: Neminem concutiatis, neq; calumniamini. Item: Non plus exigite, quam constitutum est. Propria sunt igitur regum & principum stipendia, id est, tributa & vectigalia legitima. Et ab his distinguantur facultates Subditorum, nec conturbentur dominia, nec præter legitima stipendia, & sine iusta causa sumantur reges ex facultatibus subditorum, quantum ipsis liber, Briarei manibus, ut Nazianzenus loquitur.

D E C O N I V G I O .

C O N S I L I A Dei omnia in creatione enarrati non possunt,  
scilicet

sed tamen aliquorum operum causam conspici Deum voluit, videlicet præcipuorum. Certissimum est, Angelos & homines conditos esse, ut essent aliquæ naturæ, quibus suam sapientiam, iusticiam, & ceteras virtutes, & læticiam æternam communicaret, quia bonum circumcommunicatum sui, ac ut vicissim agnosceretur ipse. Transiit igitur in mentem humanam sapientiam congruentem cum sua mente, ut in nobis testimonium extet, quod sit Deus, qualis sit, & quod sit indet. In hoc opere non est obscurum consilium Dei. Nec vero querendæ sunt omnium causæ, & reuerenter Deo obtemperandum est. Angelorum agmina simul condidit, nec est in ea natura propagatio. Homines aliter condidit, voluit esse propagationem à paucis. Et tamen duos condidit initio, quia semper vult Ecclesiam societatem esse. Et voluit in his lucere intellectum virtutum, iusticiæ, veritatis, castitatis, beneficentiæ, & aliarum, quia his noticijs vult discerni naturam diuinam à naturis intuitis & immundis. Non enim amplectitur Deum brachijs corporis, sed mente & fide inmensus est in inuocatione, & harum virtutum attributione discernendus ab alijs rebus, & intuenda sunt testimonia patefactionis, &c. **FACTI** autem illustre discrimen Castitas, quia Diaboli & homines sunt immundi. Ac ut discernas Deum à Diabolo, semper in inuocatione cogites, ut alloqui castum Deum. **SANXIT** igitur ordinem, & vagas libidines prohibuit, & seuerissime punit, & vult homines nosse, & reuerenter tueri certas leges coniugij ab ipso traditas, quarum prima dicitur in Paradiso editæ sunt. **PRIOR**, ut sit coniugium copulatio vnus maris & vnus femine indissolubilis: Erunt duo in carne vnâ, id est, vnus mas, & vna femina inseparabiliter iuncti. In hoc voce manifestum est omnes vagas libidines prohibitas esse. Altera de incestis: Relinquet homo patrem & matrem, & adheret uxori suæ. Postea de incestis & aliæ leges voce diuina additæ sunt. **EST** ergo Coniugium legitima & indissolubilis copulatio vnus maris & vnus femine, instituta diuinitus, ut agnoscamus, Deum esse mentem castam, & ei in castitate seruiamus, & hoc modo propagato genere humano colligatur æterna Ecclesia Deo. Et quidem Ecclesiæ instituta fuit illa prima societas duorum coniugum.

## PARTES DEFINITIONIS.

**PRIMUM** in definitione posita est particula, legitima copulatio, quæ restrictiones quatuor complectitur, de quibus loquitur deus diuine, ac deinde humane, quarum vera est & digna reuerentia auctoritas, scilicet de personis, de consensu, de conditionibus, & de ætate.

SIT notissimum caput 18. Leuitici, in quo recitantur personæ, quas non licet coniungi. Voluit enim Deus sua sapientia Castitatem intelligi, & ut intelligeretur, nequaquam voluit vagari libidines, sed personarum numerum & gradus sanxit, & in hac vita manifestis peccatis vniuersaliter punit incestas libidines. Ac sciendum est, leges in Leuitico, quæ prohibent commixtionem personarum, quæ ibi recitantur, esse leges naturæ, & obligare omnes gentes, sicut expresse dicitur textus, Aegyptios & Chananæos puniri propter incestas libidines. Ergo etiam alijs gentibus extra politiam Moyfi prohibita sunt incestas libidines.

Ac discant iuniores numerare gradus consanguinitatis & affinitatis. CONSANGVINEI siue cognati sunt, vt Iuriconsultus inquit, ab eodem orti, & propagati. Estq; consanguinitas vinculum personarum, quæ propterea, quod ab eodem stipite ortæ sunt, sanguinis & naturæ societate propius iunctæ sunt. Discernuntur autem lineis & gradibus.

Linea est triplex, { I. ASCENDENTIVM.  
II. DESCENDENTIVM.  
III. COLLATERALIVM.

GRADVS est intervallum, quo cognoscitur, quæ persona stipiti propior sit. Vt sita autem consuetudo numerandi gradus hoc tempore, & expeditior hæc est: Incoanda est series ab vno stipite, ut Abraham: Supra ponantur maiores eius, infra ponantur filij & nepotes.

T H A R E.

Aram	Abraham	Nahor
	Isaac	
	Iacob	
	Ioseph.	

ADDANTVR in lateribus fratres & sorores. Traduntur autem regulæ tres ad gradus discernendos.

PRIMA REGVLA TRADITVR  
de recta linea, videlicet ascendentium  
& descendentium.

QVO T sunt personæ, tot sunt gradus, vna demta, videlicet demta stipite, à quo incoanda est supputatio. Vt Ioseph distat tertio gradu ab Abraham, Iacob secundo, Isaac primo. Itaq; filius primum gradum constituit, nepos secundum, pronepos tertium, abnepos quartum.

Ac de recta linea traditur vetus sententia, Nullos ascendentes

D d      d n t s

dentes & descendentes inter se posse connubium contrahere. Quare si Adam hodie superstes esset, non posset ducere uxorem.

SECUNDA REGULA  
de Collateralibus.

IN linea aequali quoto gradu distat altera persona à communi stipite, toto gradu inter se distant. Ergo duo fratres, seu fratres à soror vnum gradum tantum constituunt, videlicet primum. Vt Jacob primo gradu iunctus est Esau.

A E A C V S.

Peleus	Telamon	Phocus
Achilles	Ajax	Epeus
Pyrrhus	Eurifaces.	

Iam si vis scire, quoto gradu inter se iuncti sint Achilles & Ajax, vide unam seriem, & observa, quoto gradu distet Achilles à stipite. Distat autem secundo gradu. Quare & inter se distant Ajax & Achilles secundo gradu. Ad hunc modum facilis est sequentium personarum supputatio.

A L I V D E X E M P L V M.

P E L O P S.

Pytheus	Lyfidice
Aethra	Alcmena
Theseus	Hercules.

Fuerunt igitur cognati materna origine Theseus & Hercules consobrini iuncti tertio gradu.

A L I V D.

ERNESTVS AVSTRIACVS.

Fridericus tertius Imp.	Soror
Maximilianus.	Ernestus Saxon. Elector.
Philippus.	Iohannes Elector.
Carolus 5. Imperator.	Ioannes Fridericus primus

NUNC inter collaterales prohibita sunt connubia intra quartum gradum. Olim fratrum filijs & filiabus licuit inter se contrahere connubia, etiam Romanis legibus. Vt, Orestes duxit consobrinam Hermionen.

A T R E V S.

Agamemnon	Menelaus
Orestes	Hermione.
Simile exemplum est in Genesi.	

B A T H Y A L.

## BATHVEL.

Rebecca	Laban
Iacob	Rachel & Lia.

IACOB iunctus est confobrinx suæ Rachel secundo gradu.

## ALIVD.

## IEPHVNNÆ.

Caleb	Cenas
Axa	Othoniel.

## TERTIA REGVLA.

IN linea inæquali, quoto gradu remotior distat a stipite, toto inter se distant.

## THARE.

Abraham	Aram
	Sara.

SARA distat secundo gradu à stipite. Ergo & Abrahæ iuncta est secundo gradu. Hoc gradu in linea inæquali prohibita sunt coniugia iure diuino, quia vniuersaliter maiorem reuerentiam Deus tribuit vult superiori gradui, quam æquali.

## PARTHAON.

Oeneus	Agrius
Tydeus	Thersites
Diomedes.	

DIOMEDES iunctus fuit Thersitæ tertio gradu, in linea inæquali.

## THARE.

Abraham	Nachor
Isaac	Bathuel
	Rebecca.

REBECCA distat tertio gradu à stipite, ideo & ab Isaac distat tertio gradu.

## DE AFFINITATE.

AFFINITAS est propinquitus personarum, quæ non sunt iunctæ copula carnali. Vt, Dauid alienus est à Ionathæ, sed quia duxit uxorem sororem Ionathæ, iam fit affinis Ionathæ.

## REGVLA.

QUOTO gradu quispiam est mihi consanguineus, toto gradu vxor eius est mihi affinis, vt, frater & frater sunt iuncti primo gradu consanguinitatis. Ergo fratris mei vxor est mihi iuncta primo gradu affinitatis.